

**A** non nascitur, cum sit substantiæ uenę, ipsius substantia ualde dissimilis: ergo nõ potuit esse principium uenarũ. Verum huic rationi instat Arist. dicens q̄ corallus nascitur in terra molli et lutosa in mari, & tñ est arbor durissima. Propterea reperitur uena penetrare per medium ipsius substantiæ hepatis, & in penetrãdo diuisiones & ramificationes suscipere. ergo in eo non habebit oriri. Cor autem & quietam & pulsatile in se terminat & iungit, & tã istius q̄ illius materias, quas defecerunt bene continuat, neq̄ habet uenã aliquã in se, nisi postquã exierit, in se iterũ reflectatur & redeat. Antecedit etiã in ordine naturæ & creatione præparatio cordis præparatiõni hepatis. Non enim nutritur uel sensificatur membrũ animalis, nisi in quo est sustentatio uitę cũ calore naturali. Cũ ergo ita sit, necesse est præparatiõnẽ & formatiõnẽ mēbri præmittere, quod sit creatio & sustentaculũ calorũ & spiritus, ante creatiõnẽ nutrientis ipsum & sensificãtis. Sed hoc est cor: quare ipsum est antiquius & sublimius in corpore animalis, & nõ habet sibi cõpar, & omnia alia sunt post ipsum, & disposita fm ipsum, & ei inclinata. Et Gal. mores, & uirtutũ naturalium operationes diuersas diuisit iuxta diuisionem complexiõnũ cordis, & posuit earũ processum ordinatum & rectũ supra ipsius temperantiã, errorẽ uero & inordinatiõnẽ supra ipsius distemperantiã. Consequens ergo est apud eum, fm rationem & non fm sensum diiudicantem, cor esse basim et radicẽ uirtutũ

**B** moralium, & eis deseruentiũ. Ad motum. n. radicum sunt motus ramorum, & non conuertitur. cum. n. ipsius forma radicalis sit, supra quã mouentur uirtutes morales, & ipsum erit radix instrumentorũ moralium. sicut. n. se habet perfectio unius ad perfectiõnẽ alterius: ita se habet unum perfectũ ad aliud perfectũ. In eo. n. quod Gal. dicit q̄ hepar est principiũ sanguinis ppter hoc, q̄ neq̄ in matrice, neq̄ in stomacho, neq̄ in intestino sequentis ipsum reperitur primo sanguis, sed in hepate, ppter hoc q̄ hepar circũstãt receptacula fœcis sanguinis, ut cystis fellis, splen, & uesica, uideẽ magis sequi semitã sensus ut medicus: qm̄ etsi sanguis in prima sui perfectiõne appareat in hepate, & in uenis post ipsum, nõ tñ est ibi in sua peroptima perfectiõne. Optimã. n. et dignissimã perfectiõnẽ consequitur sanguis in corde. iterũ ubi admiscetur ei spiritus, & ubi fit spiritualis & uitalis forma. quare postea in uasis, et magis securis ponitur à natura, ppter timorem uehementem de perditione ipsius, cum ipse sit melior thesaurus naturæ. Cor igitur fm Aristotelem, est primũ mouens, & ultimum membrorum animalium, spiritu plenum, & uirtutibus, quæ alijs cõmunicantur per influentiã ab ipso. Et cordis una extremitas subtiliata est, & ad unum punctum aggregata. & hic punctus est à quo incipit natura primo protrahere informationem totius corporis, & altera sui extremitas est in circulum. & istæ duæ extremitates coniunguntur figura circuli mediante:

**C** cuius initium angustissimum est apud punctum: deinde multiplicat se continue fm circulos crescentes, donec attingat extremitatem aliam, quæ est in circulo, maximo circulorum cordis. Et sic gradata est ipsius figura ad similitudinem pineæ, quatenus ipsa ingeniosa fabricatio superior & inferior sit conueniens & bona, & non sit in ea superfluitas euagans in angulos, in quibus lateat nocumentum & iuuamentum. In subtiliatiõne unius partis ipsius est, ut sit minor pars partium ipsius quæ parata est lædi ex contactu ossium. Et facta est dura similiter hæc pars cum superfluitate, ut melius obuiet, & minus lædatur, seu patiatur à rebus sibi occurrentibus. Et dilatata est ipsius extremitas altera ad meliorem comprehensionem materiæ ingrediẽtis sanguineæ seu aeris, & ad euacuationem faciliorem egredientium ab eo, & ut sit sufficientia in origine eis, quæ ab eo oriuntur. Et apud ipsius radicem prædictum est membrum, quod pro fundamento imponitur simile chartilagini paruum, ut sit ei basis fixa & firma. Et eleuata est ipsius pars superior, ut elongetur ab inhæsiõne super ossa pectoris, & ut facilius accedat calor spiritualis ad eleuationem uirtutum uitalium, & perueniant mores boni: & elongatæ sunt à depressione, quæ est causa timoris & tristitiæ & auaritiæ. & quandoq̄ situs partium cordis. s. ante & retro, dextrorsum & sinistrorsum, sursum & deorsum, operatur situs partium corporis. & recessus earum à suis sitibus naturalibus. est

**D** causa recessus ipsarum à suis sitibus naturalibus, ex quo accidit deformitas in exterioribus cũ deformitate mentis. Substantia quidem cordis ex diuersis consimilibus composita est. sicut enim principium omnib. alijs compositis & simplicibus partibus assimulatur, scilicet in sui compositione compositis, & in simplicitate suarum partium simplicibus. Componentia uero ipsum sunt caro, uillus nervosus, & chartilago, uel simile chartilagini, in sui carne carnibus, in uillis suis nervosis nervis, chordis, ligamentis, panniculis, cinctorijs, in substantia simili chartilagini membris duris, ut ossibus, & chartilagibus assimilatur, cum caro illius fortis sit, & solida, & sicca, & dura, ut sit difficile passibilis. Species etiam uillorum fortium plurimæ diuersitatis in eo contentę sunt, longitudinalium, scilicet attractiuorum: latitudinalium, expulsiuorum: & transversalium, retentiuorum, ut sint ei sufficientes species motuum. Et apud ipsius radicem positum est ibi fundamentum membrum quoddam chartilagini simile, ut dictum est. Iste igitur partes consimiles cum sint duræ & siccæ & terrestres, magis attinent complexiõni terrestri. quare ipsum constans ex eis, est frigidum & siccum magis. & hæc est intentio sapientis. Quæ enim est comparatio fornacis ad ignem contentum, eadem est comparatio cordis ad calorem & spiritum contentum. & sicut fornacis compositio exigitur esse ex rebus solidis, lapideis, & indissolubilibus coram igne, ita & cordis compositio ex duris, & compactis, & non liquabilibus esse exigitur.

propter



propter calorem fortem quem continet: qm̄ aliter stare non posset in facie multitudinis sui caloris. **E**  
 Signū super hoc est, q̄ confortatur magis apud sui dissolutionem, & remollitionem ex substā  
 tijs duris lapideis, quales sunt coralli, margaritæ, sapphyri, hyacinthi, & similibus, sicut iuuat simi  
 le à suo simili, & compar à sui compari: licet Gal. posuerit oē cor calidum & siccum, respiciens di  
 spositionem, quam trahit ex spiritu calido contento, & ex suis motibus: cuius simile imprimit in  
 alijs membris per exufflationem, & transmissionem caloris sui ad ea. uerū tamen est ita, q̄ ista di  
 spositio est naturalis ei fm̄ q̄ cor, & non impedit quin partes primæ compositiue sui à principijs  
 sint frigida & sicca, licet ipsum ex parte complexionis, & perfectionis, quam trahit ex anima sit  
 calidum & siccū, propter spiritum calidum, & motū quē habet ex parte animæ. Et corpus ipsius  
 positum est in panniculo spisso & solido ualde, cui nō inuenitur compar in spissitudine in corpo  
 re hominis, ut sit clypeus & tutamen. Et in ipso sunt duo uētres, & fouea, quæ est quasi meatus q̄  
 dam inter uentres, & non est uenter. Duo sunt ei uentres, ut sint receptacula nutrimenti duplicis  
 quo nutritur, spiritualis & aerei. f. & sanguinis crassi. & fouea est minera generati spiritus in ipso,  
 & sanguinis uitalis, & locus perfectionis, & mistionis eorum: & dilatatur apud dilatationem cor  
 dis, & constringitur apud sui constrictionem. Et sinistra uentris basis eleuata est super uētris dex  
 tri basim: & basis uentris dextri depressa est multū descendens. Apprehensum uero à dextro cras  
 sum est, & terrestre. Comprehensum uero à sinistro, subtile & leue est. Leue autem facilius duci  
 tur ad superiora: Crassum autē ad inferiora. Temperatior ergo natura reperitur in ipsius medio.  
 Et sunt duo orificia cordi, introitus duarum materierum. f. sanguinis, & aeris attracti: sicut duæ au  
 res, quæ creatæ sunt neruosa: rugosa & mollificata. dum constringuntur uilli: in dilatatione uero,  
 tenfa. Subtiliata ergo & mollificata sunt, ut melius sint obedientia utriq̄ motui: & facta sunt ner  
 uosa, & extēlibilia, ut remotiora sint à passionibus. Similiter ergo duo orificia prædicta sunt duæ  
 arcæ recipiētes à uasis, deinde remittentes receptū ad cor cū moderatā. Et à parte dextra egredi  
 tur uena magna, deferens nutrimentum ab hepate, quod est sanguis. Et hæc est pars occupata in  
 attractione ipsius, magis uicinans hepate. Sed arteriarum origo est à uentre sinistro: quæ oēs crea  
 tæ sunt cum duabus tunicis: quare interior est magis dura, ut sit bene obuians percussioni & mo  
 tui forti substātiæ spiritus, præter unam cuius uia est ad pulmonem, quæ est habens unā tunicam,  
 ab omnibus alijs arterijs diuersa, & nominatur arteria uenalis. Sicut in uētriculo dextro nascitur  
 uena, quæ penetrat ad pulmonē, quæ sola inter oēs uenas habet duas tunicas: & inde eā arterialē  
 uenam uocant, cuius causa deinceps dicitur. Positū autē est cor in loco medio medijs pectoris, qm̄  
 locus ille temperatior existit. Sed eius declinatio aliquantula est ad sinistram partem, ut amplifi  
 cet locū hepate. hepate. n. melius est cedere, q̄ spleni, qm̄ est sublimius. Et est alia ratio declinatio  
 nis ad sinistram, ut non totus calor coadunetur in dextra, superflue. n. calefieret, propter uicinita  
 tem nimiam utriusq̄ principij calidi, & pars sinistra superflue infrigidaretur propter eorum elon  
 gationem. Et propter hoc fuit melior declinatio cordis ad partē sinistrā, ut temperetur per ipsum  
 latus sinistrū, præcipue cum splen ipse nō sit calidus ualde. Et tertia ratio est, ut faciat uiam uenæ  
 uentrem habenti, ascendenti ad ipsum ab hepate, uel descendenti ab ipso ad hepar. Et locus cor  
 dis in medio est corporis, ut magis uicinetur æqualiter omnibus circūstantibus, & facilius eis af  
 ferantur ab eo iuuamenta: & alia famulantia ipsum circūstent undiq̄. Et mensurauit Deus quan  
 titatē cordis in sufficientia absq̄ superfluitate & diminutione, ut nō sit ei grauitas propter quan  
 titatem immoderatam, neq̄ fractura uel angustia in suis extremitatibus propter diminutionem.  
 Ab eo. n. est origo arteriarum, suspensio ligamentorum, & uirtus omnis in uniuerso. Veruntamē  
 excessus ipsius fm̄ diminutionem & superfluitatem frequenter in diuersis particularibus reperi  
 tur. Et dico q̄ ipsius quantitas superflua in compositione corporis eius, non est causa audaciæ ut  
 quidam autumant, neq̄ quantitas parua causa timoris & paviditatis. Animalia. n. plura habent ni  
 miam quantitatem cordis in comparatione sui corporis, & sunt cum hoc pauida plurimum & ti  
 mida, ut lepores, cerui, cuius causa est, qm̄ in eis calor paruus est, et extra fertur pars plurima ab eo  
 ad membra uiuificanda, & sensificanda, & mouenda: quare non calefacit ipsum integrum, sed re  
 linquitur frigidum & uacuum, unde & paviditas. Sed quædam sunt e conuerso paruū cordis, &  
 hæc sunt audaciæ, qm̄ in eorum corde est caliditas plurima, & coarctatur propter loci angustiam,  
 & cum uehementia ebullit. unde illa, quæ plurimum sunt audaciæ, sunt ea, quæ sunt magni cordis,  
 & plurimi caloris. Et cor nutritur cum suis uirtutibus naturalibus et earum motibus, qui sunt dia  
 stole & systole, & quietibus duabus inter ipsas. Necessè est enim ut inter omnes duos motus con  
 trarios quies interueniat. Et in his reperitur ars musicæ cum natura: qm̄ quemadmodum ars mu  
 sicæ completur per adiunctionem sonorum fm̄ proportionē continuantem eos inter acuitatem  
 & grauitatem per circulos casuum temporū, quæ sunt inter eorū percussiones, similiter est dispo  
 sitio pulsationis cordis, qm̄ proportio suorum temporū in uelocitate & spissitudine, est sicut pro  
 portio sonorum eius: & proportio dispositionum eius in fortitudine & debilitate, & quantitate,  
 est sicut proportio adiunctionis eius: & sunt motiones proportionatae ad inuicē: & quietes simi  
 liter: & motiones quietibus, et e conuerso. Et cū omnia ista cōcurrunt in cōueniētia fm̄ ordinē, tūc  
 saluū est regimē corporis, & procedunt omnia cū incolymitate & quiete uera. Et si prædicta cum  
 suis



- A** suis dispositionibus proportionales naturales egrediantur, disturbance n̄ naturæ portendunt. & et disturbance n̄ quātitas, est sicut quantitas egressa à proportione. Est ergo cordis pulsatio, harmoniam principiorum complexionis corporis animati assimulans, uel eorūdem discordiam natam p̄pter coctionem ducentē ad superfluitatem et diminutionē, sicut manifestum est in passionibus animæ, timore, & spe, & lætitiā, castitate & luxuriā, largitate & auaritiā, & in agridudinib. corporalibus, cali. fri. hu. & sic. Et terminus ad quem se extendit cor maxime, est in contactu tunicae & panniculi sui exterioris, qui sibi datur ad tutelam & custodiā, & est spatium positum inter hoc & hoc, ubi oriūtur ab eo, & similiter apud radicem ipsius, ut in ipso dilatari possit absq; p̄focatione, & constringi, sicut in spatio amplo. Et motiones ipsius efficiunt motiones in arterijs consimiles, ita, q̄ dilatatio dilatationē, & constrictio constrictioē, licet alij aliter ponant, inducētes exemplum de follibus, cui experientia contradicit. uerbi gratia, si ponas manū supra cor alicuius, & alteram super arteriam, uidebis semper depressionem cordis & depressionem arteriæ simul fieri. Et uerū est q̄ pulsus rarū & tardū efficit tristitia. quod nequaquā fieret, si per cōpressionē cordis dilataretur arteria. Itē fm hoc magis deberet apparere facies inflata & rotunda in tristitia, q̄ in ira: &
- B** pulsus magis eleuatus in humili, q̄ in superbo: sed in omnib. hmōi accidit oppositū. Quare oportet, ut ad eleuationem cordis sequatur eleuatio arteriæ, & cōpressionē cōpressio. Processio igitur caloris uitalis, incipiens est à cordis fundamento ubi oritur. s. apud principium monstratum. Iuperius tendens in latum & amplū continue, cuius motus consequitur figurā cordis, quoad exeat, & recipiatur à uasis, & feratur in spatium amplum totius corporis, & spargatur in eo, & terminetur apud extremitates ipsius. quare motui suo se ipsum assimulat cor in figura sua. Et sicut motus iste est primus motuū in ueritate, ita & figura ipsius, cum sit hmōi motū assimulans, est prima, & mater figurarū in omni membro cōsequente. Intentio autē Isaac multū est diuersa ab hac intentione. Erectio siquidē totius animalis supra cor posita est à natura tāquā supra radicē ultimā, sed p̄pter diuersitatem uirtutū nobilium ab eo egredientiū necessaria fuit creatio diuersorū organorū absq; permissione aliqua, per quæ ferantur, & in quibus sustententur, p̄pter separationē operationum suarū meliorem, & faciliorem prouentū earum. identitas. n. organorum penitus confunderet, & earū permissio uehemēter impediret. Melius ergo cū separatione creata sunt & diuersa naturæ receptacula. quatenus singulis singulæ specificentur & cōpleantur operationes nobiles, cū alleuatiōe & absq; impedimēto. propterea creata sunt cerebrum & hepar & pulmo & stomachus, & sunt tanquam nodi propinqui primæ radici, supra quos deinde & nodi alij eleuantur, qui in eorū eleuatione sunt secundarij. Qm̄ sicut in terræ nascētib. radix est principiū supra quam figitur, & post ipsum sequuntur nodi ascendentes ut in pluribus, in quibus coadunat se natura, ut iterū fortius progrediatur, & attingat melius quod intendit: ita & in animali supra radicem ipsius, quæ est cor, eleuatur membra consequentia ipsum, quæ sunt in comparatione nodorum in terræ nascētib. ut in ipsis efficiat natura operationes diuersas, fm q̄ necessariae sunt ex parte regiminis animalis. Sed cū bipartita sit naturæ sollicitudo, quarum una consistit in restauratione resolutorū, & reliqua in custodia & protectione restaurantis, causa exitus ipsius à corde est duplex, et iter ipsius similiter bipartitū, & uirtutes restaurantis, p̄ter penetrationem ad exteriora corporis. Ipsa enim opera sua quærit cælari magis. quare cū suis fornacibus & nodis sepulta est interior in suis concauitatibus, quæ sunt duo uentres sibi cōiuncti, à natura p̄parati, superior. s. & inferior, quos separat diaphragma: licet superiorē separet panniculus, pectus per mediū partiens. & superior est domus cordis & pulmonis, in quo est spiritus p̄paratio & rectificatio antequā cor ingrediatur. & attractio aeris ad hanc partem, est per cannā magnā, & per cannales nasi. Inferior uero ueter domus est organorū, in quibus assimulatur nutrimentū, cuius ingressio est per gulā, & ad quæ abijciuntur superfluitates eius. Ex parte igitur aeris siue uia arteriæ exigitur nodus quidā, qui est pulmo, super quē eleuatur canna cū cymbalari, & cannales. & ex parte uia sanguinis supra cor, exigitur nodus alius magnus, qui est hepar, in quo est prima apparitio sanguinis. & ipsi supponuntur & alij duo nodi parui in comparatione ipsius, qui sunt domus superfluitatis & grauaminis sanguinis, & urinæ colatoria. Et supra hepar etiā eleuatur stomachus cū suis appendicibus, licet consimiliter sustentetur supra cerebrum, & super radicem primam, per aliam uiam, propter quantitatem ipsius sanguinis superfluā, & suarum appendicum, & propter quantitatem sui ponderis in hora suæ repletionis. et supra ipsam erigitur gulam, recipiens cibum ab ore. Virtutis autem positæ in custodia & protectione nutrimentalis & totius compositi processio, est magis ad exteriora. Eleuatur ergo, & ascendit in locum magis eminentem in toto: qui locus est magis dignus speculatori exercitus: & est magis dignus in custodia membrorum: & in loco isto coadunatur nodus, in quo complentur operationes mirabiles ualde: & nodus iste appellatur cerebrum super quod merguntur nodi plures: in quibus operantur quinque sensus, qui sunt exteriores speculatores, & in quibus operantur irascibilis & concupiscibilis, & isti nodi sunt muscoli sparsi per uniuersum corpus tam in quibusdam intrinsicis q̄ extrinsicis ea cooperientibus, & in extremitatibus quæ sunt rami mediorum: sicut in manibus, & pedibus, & capite. Et nodi, qui sunt principia generationis, eleuati sunt supra cerebrum fm Isaac. licet sapientes post ipsum erexerint & sustentauerint ab alijs patiter,



## GALENO ASCRIPTVS LIBER

riter, & per uiam etiā spiritualem à radice prima. & uerum est quòd est ramificatio ab unoquoq; **F**  
 nodo primo procedens ad alium, & uirtutum diuersarum ad inuicem trāsmisso, quatenus unuf-  
 quisq; sustineatur, & confortetur ex parte alterius uirtutis. Et demonstratio per hoc est, q̄ omnes  
 ab eadem oriuntur radice.

*De anatomia arteriarum.*

A sinistro cordis uētriculo duæ oriuntur arteriæ, quarū una ad pulmonē tendit, & in ipso par-  
 titur, propterea ut aer attrahatur, & ut etiā sanguis nutrimentalis pulmonis primo ad ipsum à cor-  
 de deferatur. & hoc est, qm̄ nutrimentū pulmonis primo deferatur ad cor, in quo melioratur, & post  
 ad pulmonē trāsmittitur. & hoc est unicā tunicam habēs, in quo differt ab omnibus alijs arterijs:  
 quare appellatur arteria uenalis. Et si comparaueris inter duplicitatem tunicarū & firmitudinem  
 seu soliditatem, & inter unitatem tunice & lenitatem & raritatem, si magis est necessaria, & tuni-  
 ce unitatem, propter hoc. lenitas enim & raritas faciunt ei dilatationem facilem & constrictionē,  
 & resudationem eius quod ab ea resudat ad pulmonem, qui est sanguis subtilis uaporosus substā-  
 tiæ pulmonis magis aptus & similis. Et hæc arteria uenalis in interiori parte pulmonis spargitur,  
 & in ipsa submergitur, & est deferens sanguinē subtilem, uaporosum, propinquum completæ di-  
 gestioni, & non completæ digestum, et non timetur super hoc propter propinquitatem ipsius ad **F**  
 cor, à quo ad ipsum uenit uirtus calida facile digerens & cōuertens. Et est uena quæ à dextro cor-  
 dis uentriculo exiens subintrat pulmonē. & ipsa creata fuit duas habens tunicas, et ideo eam arte-  
 riales uocant uenam. Primū autem iuuamentū in hoc existit, ut sit sanguini, qui ab ea resudat,  
 subtiliatio perfecta: qm̄ in eo nō est talis digestio, qualis est eius qui ad arteriā effunditur uenale:  
 unde oportuit ut uena eū portans incrassaretur multū cum suis tunicis. Et aliud est, ut non resudet  
 ab ea sanguis, nisi subtilis & bene coctus, propinquus sanguini à sinistra concauitate exeunti in  
 quantū possibile est, quasi spiritus subtiliatus, pulmonē magis iuuans in suo motu. Factus est igitur  
 pulmo quatenus sit receptaculū aeris frigidi, qui ueniens ad cor temperet ipsum. nisi enim es-  
 set aer iste, iam cor cremaretur ex calore in ipso. Vnde omne animal habens calorē magnū, neces-  
 sarium fuit habere pulmonem magnum. ideoq; quadrupeda magnum pulmonem sunt habentia.  
 Aues autē, cū sint frigidioris naturæ, habent paruum pulmonē, quia aer inspiratus sufficit eis ad  
 nutrimentū caloris spiritualis: ita etiam q̄ quædam earum non potant, neq; sitim habent. sufficit  
 enim aer inspiratus calori earū. Et nō dixit Galenus q̄ attrahebatur aer ad cor ad nutrimentū cor-  
 dis, quia aer cum sit simplex, non transit in nutrimentum, sicut neq; aqua simplex, propter remo-  
 tionē similitudinis, & distantiam plurimam inter ipsam. unde utrumq; eorum aut est pars nutri- **G**  
 menti, aut est faciens ipsum penetrare in eo q̄ dat ei lubricitatem. Et dico q̄ aqua est ad nutrimen-  
 tū corporis: aer uero ad nutrimentū spiritus. & unumquodq; duorū. s. nutrimenti corporis & spiri-  
 tus, est corpus compositum, & non simplex. Modus autem, per quē accidit temperantia in corde  
 & in spiritu eius per aerē, est euentatio superfluitatis adustæ spiritus, qui est fumositatis propinqua  
 adustioni & inflātionem, per motū sui introitus, præcipue cū sit frigidus in comparatione mate-  
 riæ fumosæ calidæ egrediētis. Et infrigidatio cordis per aerē attractū propinqua est infrigidatio-  
 ni stomachi, quæ euenit ei in hora suæ repletionis, propter motū et descensum ciborum. unde phi-  
 losophus, Venter uacuum calefit, & repletus infrigidatur, propter motum. Et est pulmo composi-  
 tus ex partibus: quarū una, canna est: secunda, est rami arteriæ uenalis: & tertia, rami uenæ arteria-  
 lis: quas proculdubio coniungit caro mollis rara, causata ex sanguine magis tenui & magis subtri-  
 li: ex quo nutritur & sustētatur in esse. Est ergo pulmo mollis, rarus, ad albedinē declinans, & plu-  
 rimorū meatuū, quatenus in ipso capiatur aer, & digeratur, & expellatur superfluitas eius ab eo.  
 sicut creatum est hepar fm̄ q̄ melius in cōparatione ad cibū. Mollis autem est, ut sit præparatus  
 duobus motibus fm̄ attractionē & respirationē, quos tamen motus consequitur ex parte thora-  
 cis. Carnis autem ipsius est iuuamentum, ut adimpleat rimas, & coniungat ramos. Declinatio au- **H**  
 tem ipsius ad albedinē, est propter dominium aquæ super illud quo nutritur, & propter illius plu-  
 rimam frigiditatem. est enim sedes aquæ, ut per ipsam confortetur uirtus anhelitus in expulsiōne  
 fumorum calidorum. Et continuatur etiam aeri, adiuuans ipsum in festinando ad cor cum facili-  
 tate. Sed raritas eius est, ut redeat ad attractionem aeris, & recipiat ipsum. Aeris enim penetratio  
 non est solummodo in canna: immo plurimum euadit ad corpus pulmonis ex eo. & propter hoc  
 est multiplicatio ipsius aeris in eo, apparens manifesta. Et est aliud iuuamentum raritatis ipsius,  
 ut adiuuet in constrictione ad expulsiōnem. Præparatur igitur duobus motibus. & propter hoc  
 aperitur pulmo cum inflatione, & clauditur cum exsufflatione. ipsius tamen constructio sequitur  
 constrictionem thoracis, & dilatationem dilatatio, sicut dictum est. & hoc ne locus sit uacuus. &  
 est simile uidere in spongia, quæ compressa manu coarctatur in spatio breui & angusto. quæ si  
 explicetur, sequitur eam spongia, & ingreditur eam aer, & dilaturatur, & redit ad locum amplum,  
 sicut primo fuerat. Et pulmo est diuisus in duas partes, in quibus attenditur ipsius geminatio, si-  
 cut est geminatio cæterorum membrorum in homine. Licet dubitetur de hepate, utrum gemitur  
 in homine. licet in piscibus duplex sit hepar à duplici lacerto. Et q̄a homo habet hemicra-  
 niam, & patitur quandoque paralylin unius partis & non alterius, ideo cognoscitur geminatio  
 partium



**A** partium in cerebro. Iuuamentum uero partitionis pulmonis in duas partes, ut non cesset anhelitus, propter nocumentū uni duarum partium adueniens. Et utraq; diuisio ramificatur in duos ramos, licet in latere dextro quasi nō reperiatur ramus, cuius iuuamentum non est magnū in anhelitu, sed est ibi tanquam lectus substratus uenæ concauæ ascendenti ad cor cum nutrimento sanguineo cordis. Et secundæ diuisiones pulmonis sunt sicut primæ ipsius diuisiones. & ut sint tanquam digiti ipsius propter bonā compressionem cordis. Verū tamen additio sectionis in dextra est ad hoc, ut occupet spatiū pectoris, & æquet ipsum: qm̄ declinatio cordis est magis ad sinistrā partem. Et pulmo insensibilis creatus est in se, & immobilis per se: qm̄ ipsum nō penetrat neruus aliquis: & omnis sensus & motus influens influit per neruum. Cooperimentum tñ ipsius, panniculosum & neruosum est, ut sit ei sensus aliquo modo in superficie, fm̄ q̄ determinatū est. Et pulmo ipse substernitur cordi, sicut culcitra sustentans & leniens ipsum. Et gibbositas ipsius est a parte dorfi. & est duplex, ut melius recipiatur in concauitatibus a duabus partibus spinæ. Concauitas autē ipsius respicit anteriora magis, ad hoc ut amplectatur facilius cor & melius. Et spissitudo maior est apud exitum cannæ, postea descendit attenuando se gradatim usq; ad sui terminum. & inspissatio eius est superius magis necessaria, ad subleuationem meliorē capitis cordis, magis lati & magis spissi, quare indiget fulcimento spisso & molli superius. Sed consequēter cedit hæc spissitudinis necessitas: unde postea attenuata est, fm̄ q̄ proportionaliter cor ad acuitatē tendit & sublimitatem. Et comparisonem etiam habet ad folium, quod positum est in custodia, & protectione fructus, sicut ipse positus est in protectione & custodia cordis. Iuuamentum autem quantitatis augmentatæ, quæ est supra ipsum, est multiplex. Et unum est, ut sit continens pulmonis aeris, qui sufficiat pluribus pulsationibus cordis. Si enim numerus inspirationum, non pulsuū, propter paruitatem pulmonis cogeretur adæquari, iam cessarent plurimæ nobiles operationes, sicut emissio longæ uocis: quæ necessaria est in sermonibus, uociferationibus, & cantibus. & non posset detineri inspiratio corā se fœtida & corrupta: neq; etiam in hora deglutitionis. immo accideret ut superoccuparentur inspiratione & expiratione. quare diu permanere non posset, qm̄ necessaria est plurima quantitas ipsius, ut spiritui cordis sit materia sufficiens, dū summergitur in aquis animal, aut quando necessarium est ei uocem prolongare cum continuatione, aut qm̄ abhorret attractionem aeris propter corruptionem & fœtorem eius. Et etiam notandum q̄ quædam animalia sunt habentia pulmonem, quædam autem non. quæ autem sunt ambulabilia & sanguinea, pulmonem habent. Et piscibus loco pulmonis sunt branchiæ. Et in quibusdam animalibus loco pulmonis sunt canales. Delphinus quoq; & lepus marinus, & animalia alia quæ sunt communia terræ & mari (quæ arabice cenalia dicuntur) & pisces respirant uaporem per branchias. paucus enim uapor sufficit eis, cum participent multum frigiditatis. Vtrum autem aliqui pisces respirent aerem, dubitatur propterea, quod dicunt pisces de delphino, quod quando dormit in superficie aquæ, sentiunt ipsum stertere: & Gal. promisit se tractaturum hoc.

## De anatomia oculorum.

**C**reauit Deus caput animalis, & posuit ipsum in superiori parte animalis, præcipue ppter oculos. Et anteriorem partem capitis eleuatiorem fecit, ut oculi in illa parte siti essent in eminenti, instar speculatoris undiq; prospicientis aciem, siue exercitum undiq; in plano positum. sic & oculi compaginem inferius speculantur. Vnde quædā animalia paruū habent caput. & decliues habent oculos, positos in quibusdam neruorū extremitatibus, quos qnq; emittunt a se, qnq; retrahunt ad se, ut patet in Limace, cuius extremitates uulgus cornua uocat. Quibusdam uero animalibus illæ extremitates protensæ duriores sunt, neq; retrahi possunt, sed habent quædam defensoria supposita, quasi duos clypeos duorū oculorū, ut patet in Cæcro. A cerebro autē exeunt duo nerui, quorū uterq; duobus pāniculis est obuolutus, a duabus matribus siue meningibus ortū habentibus, qui panniculi ad duos orbis oculorū tandē peruenientes ibi dilatantur per circuitū, ut intra se deglutitionē humorū possint accipere. Est ergo crySTALLINUS humor qui grando glacialis ab Aristotele appellatur, quia in forma & colore est similis glaciei, in profundo et medio positus duplici ex causa, quia mediū dignior est situs in custodia, & ut a circūstātibus iuuamentū accipiat undiq;. Iste humor in posteriori parte sphericam habet formā, in anteriori aliquantulum planam: & hac ratioe, qm̄ si undiq; haberet sphericam, imago rei uisæ quodā modo lubricaret super ipsum, & rangeret in puncto. Item anteriori planum est, ut parua corpora uisæ multā haberent in eo sectionē. Iste autem humor diaphanus & translucens est, ut sit susceptibilis omniū formarū intra se. Post crystallinum humorem interius uersus cerebrum positus est uitreus humor, qui sic appellatur, quia uitro liquefacto assimilatur: cuius color medius est inter rubrum & albū similis uitro. Et est iste humor ad rectificandum nutrimentum crystallini humoris, & ut fiat gradatio sanguinis dum conuertitur in crystallinum humorem. Si enim perueniret sanguis in suo rubore ad nutrimentū crystallini, inficeret ipsum: & faceret omnia uisæ apparere rubra. & eleuatur iste humor ad maiorē circulum crystallini, faciendo semispharam circa ipsum. Et se habet iste humor ad crystallinum in comparatione stomachi ad hepar. Ex opposita autē parte uitrei humoris exterius ante crystallinum positus est albugineus humor, qui similis est albumini ouī: cuius finis multiplex est. ut ex humerositate



## GALENO ASCRIPTVS LIBER

humorositate sua defendat crystallinū humorē ab arefactione aeris exterioris, qui quidē humor est defensorium crystallini ex alia parte, & est superfluitas illius, sicut unguis, capilli, cornua sunt superfluitates animalis, & defensoria eiusdem. Item iste humor præponitur crystallino, ut fiat gradatio lucis & imaginis ad ipsum crystallinū: quia natura non sustinet repentinās immutationes. Vnde isto læso destruitur uisus. Itē iste humor liquidus est, ut ex liquiditate imago rei ingrediens distinctionē suscipiat. Et est iste humor positus in foramine uueæ tunicæ, quod quidem foramen, pupilla oculi appellatur. Interior autem panniculus ad maiorem extenditur circulum crystallini humoris, claudens intra se ferè duos humores. s. crystallinum ferè, & uitreum ex toto. & uocatur tunica secundina, quia à secunda matre. s. pia matre nascitur. A qua quidem tunica, in eodem termino nascuntur alia tres tunicae. s. una quæ inferius reflectitur, interponens se crystallino humori & uitreo separatorium illorum ex una parte, & uocatur retina instar retis. partes habet innumerabiles ex uenis, neruis, & alijs. Ab eodem loco nascitur tunica alia, quæ aranea nuncupatur, perficiens sphaeram cum retina, circūdantem crystallinum humorem. & dicitur aranea, quia ad modum telæ araneæ subtilis est, ne impediatur lumen ingrediens ad crystallinum & albugineum. Ex alia parte extra hanc tunicam, ab eodem loco, cū ea tunica nascitur alia tunica, cū secundina sphaeram perficiens exterius. Hæc tunica appellatur uuea, quia perforatur ad modū uuæ, suspensorio eius ablato. Figurā illius & colorem cœlestem habet, colorem. s. medium, admistum. s. nigro f. maius, & albo f. minus, quia si ex toto esset albus, nimium disgregaret uisum: si niger ex toto, nimis congregaret. Tunica aliquātulū est spissa, interius autem mollior, ut sit similis in mollitie crystallino: exterius durior, ut sit corneæ tunicæ similis. Rugosa autem est circa ipsum foramē, ut quā opus sit, cōstringi possit ad modum bursæ: & hoc quā uirtus laxatur, & indiget recreatione. Et quā opus est dilatarī, possit, quā uisus diffusionē lucis indiget. In foramine huius positus est albugineus humor, qui illas replet rugas interius, qui quidē humor quādoq; cōstringitur, quandoq; dilatatur f. dilatationem & cōstrictionē illius foraminis. Item ab exteriori panniculo oritur tunica proximo loco includens secundinam, procedens ad modum sphaeræ, quæ sclerotica propter sui duritiē appellatur, à qua nascitur tunica cornea, cum ea sphaeram unā perficiens, quæ assimulatur cornu lucido bene abrafo & polito in luciditate & in duritie. ut ex illa duritie defendat interiora, & ex sua luciditate sit diaphanū siue peruium luci. Vnde per medium ipsius apparet circulus latus, foramen habens in medio de uuea tunica: qui quidē circulus, oculi corona appellatur. Et hæc tunica in sui cōstitutione quatuor habet cortices. & si destruatur duo uel tres illorū, quartus remanet. quo destructo oēs destruuntur. Ultimo loco superuenit coniunctiua, coniungens oēs illas partes, quæ nascitur à quodā neruo, & nō à matribus: & cōponitur hæc tunica ex carne alba & hu. & tenera, & ex neruis & uenis subtilibus: & habet foramen in medio, per quod apparet corona oculi, quæ est pars uueæ tunicæ, quæ pupilla appellatur. quæ propter sui profunditatem præterdit alium colorem albū. quæ re uera cū ibi sit, sicut aqua nimis profunda, apparet nigra, cum tamē sit alba. Habet autem hæc tunica sex paria lacertorum siue musculorū, totum motū oculi perficientium. quorum unus mouet oculum sursum, alius deorsum, alij ad duos angulos, unus ad angulum domesticum siue lachrymalem, alius ad angulum syluestrem. Item sunt alij duo ex transuerso positi, qui mouent oculum circulari motu. & de compositione oculi hæc sufficiant.

### De anatomia aurium.

Creauit Deus aurem ut deseruiret auditui. cuius interior figura est anfractuosa, quoniam breue est cerebri ad aurem spatium. Si autem recto tramite intraret aer ad cerebrum, ex sui qualitate & substātia læderet cerebrum: propter hoc anfractuosa est eius meatus, ut per tam breue spatium prolongaretur. Et eius foramen à petroso osse incipit, quod medium est inter os & petram, sicut cōcha piscium. & propter hoc utriusq; suscipit denominationem. Et similiter anfractuosa est, ut in prolatione uariarū uoces & uariarū ipsarū differentiarū percipiantur, & cum ipso perficiat tinnitus necessarios, quæ non acciderent si directus esset transitus. Et eadem est causa, quare prolongatur iter aeris per aurem, cum causa quare prolongatur per tracheam. s. ne lædat cerebrum, ibi uero ne lædat cor ipsum. In interiori autem cōcauitate ossis petrosi, sine comparatione manet aer quietus. ibi autem discernuntur omnes uocum differentiarū. Et se habet illa pars ossis petrosi ea comparatione ad auditum, in qua se habet crystallinus humor ad uisum. Residua uero pars ab osse petroso extra apparens, chartilaginosa est, non tamen mollis sicut caro, ut debitam figuram sibi retinere possit: neq; tam dura sicut os, ut flecti possit, non frangi ad offendiculum. Posita est auris ad latus, non in anteriori parte sicut uisus, quia immutatio uisus directe procedit, sed immutatio auditus indifferenter. Item nerui audibiles procedunt à media cellula, propter hoc sub illa lateraliter posita est auris. & potius sub capite, quàm superius. ne propter ipsos impediretur auditus. Item quidam panniculus exit à neruo descendente à quinto pari neruorum cerebri, qui interius inuestit os petrosum, & totam præstat ei sensibilitatem, quam habet: & est foramen ad ipsam aurem, in comparatione pupillæ ad oculum.

### De anatomia nasi.

Nasum creauit Deus præcipue propter tria iuuamenta. Quorum unum est, ut uapor deferens odorem



**A** odorem rei odoriferæ, recipiat in concavitatibus ipsius, & ibi quodammodo temperet, & præparetur odorati. Aliud est, ut aer recipiat ibi in magna quantitate, p parte transmittendus ad pulmonem, pro parte ad cerebrum. sicut enim cor constringitur & dilatatur, & infrigidatur per aerem: sic & cerebrum suo modo. quod ne lædatur ab aere recepto, subito recipit ipsum tanquam præparatorium, mediante colatorio isto, sicut & trachea arteria. Tertium iuuamentum est, ut sit unum emunctorium superfluitatum cerebri. Vnde longam & eminentem habet formam, scilicet ut tegat mucilagines exeuntes à cerebro, & celet eas. In interiori autem parte iuxta duram matrem, est quoddam concavum os duo habens foramina, per quæ intrat odor & exit, & mucilago. In ossis concavitate iacent duæ caruculæ spongiosæ, instar duarum parvarum mammillarum, à quibus fugitur fumus, qui est uapor deferens odorem: sub quibus mammillis sunt duo ossa foramen triangulare habentia, quæ coniunguntur ad unum latus eleuatum secundum foramen nasi, & duos angulos, à termino quorum inferiori adiungitur cartilago quædam, sicut in alijs locis coniungens carnem cum ossibus, quasi in hæsiō carnis pendentis circa foramina narium. Itē in folijs narium sunt duo lacerti, quorum motus dilatatur, & constringitur in horis necessitatis, ut in impedimentis diaphragmatis. Item superius in radice nasi sunt duo foramina exeuntia ad angulos lachrymales oculorum, quibus exeunt lachrymæ: signum huius rei est, scilicet quando collyrium apponitur, eius odor sentitur: sed sapor lingua percipitur. Itē ferè ab interiori parte nasi directe post palatum procedunt foramina duo quadam tela interposita usque ad radicem linguæ, quorum iuuamentum est, ut intret aer ad cor refrigerandum, & pro parte exeat, ne totus cadat in offensionem uocis. Vnde illi, qui habent illa foramina stricta, uel oppilata, imperfecte & confuse formant uoces. Sed queritur quare inter cætera organa sensuum, semper aures ac nares sunt patulæ, alia quandoque aperta, cum continua operatio debilitet sensum, ut patet in oculis piscium qui non discernunt inter medios colores propter debilitatem uisus ex continua apertione: & in hominum odoratu, qui non discernunt inter medios odores, sed inter extremos tantum, scilicet inter foetidum, & aromaticum. Ad hoc potest dici, quod nares semper sunt apertæ, ut per ipsas continua fiat inspiratio aeris ad infrigidationem cordis, dum os clauditur, cum uehemens odoratus non sit necessarius hominibus, sicut quibusdam brutis, quæ mediante odoratu nutrimentum acquirunt.

## De anatomia oris.

Creauit deus os tanquam necessarium instrumentum gustus: in cuius radice sunt duo foramina interiora: unum foramen ad uentrem inferiorem, per quod intrat cibus in stomachum: aliud ad uentrem superiorem, per quod intrat aer ad cor & pulmonem. Est ergo os, uas uniuersale organorum locutionis in homine, & uociferationis in brutis, quæ sunt dentes, labia, palatum, & lingua, & uua, & duæ amygdalæ. Sunt autem linguæ multa iuuamenta. Vnum, est decisio uocis & extractio literarum. Aliud iuuamentum, est conuersio cibi masticati. Tertium, est discretio gustus. Et ei præstat sensibilitatem quidam nervus descendens à quinto pari neruorum cerebri, qui circumdat ipsam. Sub radice linguæ sunt duæ concavitates, quæ fontes siue hauritoria appellantur, in quibus saliuam digeritur. In istis concavitatibus sunt quædam carnes glandulosæ, quæ parant humiditatem organo oris, ne ex nimio motu arefiant. Componitur autem lingua ex carne alba cum rubore, ex uenis minutis & subtilibus, deferentibus sanguinem per diuersas partes eius. Propria figura est linguæ, ut sit mediocriter lata, longa, spissa, acumen habens in suo principio. Vnde qui habent linguam nimis acutam, uel nimis obtusam, peccant in formatione uocis. Habet autem lingua nouem musculos in sui compositione, uarios eius motus perficientes. & habet binos & binos musculos singulis motibus deferentes. non enim tanti, & tam uarij motus ab uno musculo poterant perfici. Veniunt autem duo musculi ei ab additamentis sesaminis, id est quibusdam parujs ossiculis ad modum seminis sesami: & sunt supplementa spondylorum colli. Primi ergo duo à latere subintrant linguam, facientes motum dilatationis. Veniunt autem alij duo musculi ei à superiori parte lambdæ, directe subintrantes ipsam, facientes motum circumuolutionis. Veniunt uero ei alij duo ab inferiori mandibula, unus ab una parte, alius ab alia, facientes motum duplicationis. Venit iterum ei musculus unus à superiori parte lambdæ, attingens usque ad medium linguæ, faciens motum retardationis. Et sicut cerebrum diuisum est in multas partes, ut si impedita fuerit operatio unius uirtutis & partis, uigeat altera pars: sic & lingua diuisa in duas partes consimiles, ut si forte paralytica sit una medietas, reliqua motum suum & sensum non amittat.

## De anatomia dentium.

Creauit Deus dentes propter multiplex iuuamentum. scilicet propter decisionem cibi, ad præparandum stomacho, & meliorem decisionem uocis, & propter arma in quibusdam animalibus, sicut in apris. Horum tres sunt species secundum tres speciales decisiones ciborum. Quidam enim dicuntur incisores siue incisui, qui lineare habent acumen ad modum cultelli: quorum officium speciale, est frangere siue incidere. Quidam dicunt canini, qui pineale habent acumen: quorum speciale officium est frangere siue constringere. Quidam latam habent figuram superius, & asperam sicut mola: quorum speciale officium est molere, & remollire, & in munitissimas partes cibos diuidere. Infigunt autem dentes gingiuis in quibusdam caueis per fortia ligamenta, quorum radices teguntur quibusdam additamentis carnijs. Maiores autem dentes per plures radices figuntur, parui dentes



## GAL: ATTRIBVTVS LIBER

per pauciores, ut per unā uel duas. In brutis animalibus, sicut in hominibus, unicus est ordo dentium, præterquā in quibusdam, ut piscibus, in quibus est multiplex ordo dentium, sed una maneries tantū. s. dentes fractores siue canini. non. n. est eis necesse, nisi ut frangāt cibos. non. n. possunt mōlere & diu tenere in ore, & hoc aqua impediēte, quæ subintrat. similiter in lupis multiplex est ordo dentium. Quibusdam etiā dantur dentes ad armaturam, sicut apris: & sicut cornua dantur alijs ad armaturam. Quædam animalia habent duas maneries tantum, sicut incisiuos, & molares, ut oues, & boues, & equi, & cætera alia multa. Dicuntur autē secundū cursum naturalē in homine & numerum xxxij. dentes xvi. in superiori mandibula, & totidem in inferiori. Vnde superius in anteriori parte duo incisores, postea duo quadrupli, unus ex una parte, alius ex alia: qui duo dentes ultimo adueniunt, sicut postremo tempore crescunt ipsius crementa scilicet in iuuentute.

*De anatomia uuula.*

Vuula autem est quoddam membrum supra radicem linguæ situm: & apparet uisui aperto ore & demissa lingua. Huius est iuuamentum duplex, scilicet ut detineat aerem, ne subito intret cum suis nociuis qualitatibus ad ipsum cor. Aliud, ad meliorem formationem uocis. Est enim quasi secunda canna uocis, epiglottis uero prima. Vnde illi qui habent incisam uuulam aut deperditam, plurimum habent raucam uocem. Vnde Hippocrates in prognosticis, uuulam incidere timendum est. Subiacent ei duæ pelliculæ, quæ galsamach dicuntur, iuuantes ipsum in suo officio. Duæ amygdalæ sunt quasi duæ auriculæ ante os gulæ, quodammodo claudentes cibum: & uuula media inter has, ne declinet in hanc partem uel illam.

*De anatomia gulæ.*

Gula est quoddam membrum compositum ex duobus panniculis, recipiens cibum & potum intra se qui fertur ad stomachum. Huius interior panniculus componitur ex uillis longitudinalibus, ex quibus habet uehementem attractum. exterior uero panniculus componitur ex uillis latitudinalibus, ex quibus facit compressionem eorum, quæ recipit: & cōponitur ex alijs uillis transversarijs, ex quibus habet aliquantulum retinere. propter hoc difficilis est uomitus. Procedit autem gula directe usq; ad quartum spondylum pectoris. Vnde ibi incipit declinare uersus dextram partem, donec coniungatur cum diaphragmate, cum quo alligatur fortiter. Postea declinat ab ipso, donec perueniat ad locum ubi coniungitur cum ore stomachi. ut circa xij. spondylū. Hac autem ratione declinat ad dextram partem ipsa gula, scilicet ut faciat uenæ concauæ locum, transeuntē ab hepate ad ipsum cor. Si quæritur utrum ipsa gula cum ore stomachi continuetur: potest dici quod continua est cum eo, tamen habens aliam compositionem, quoniam os stomachi magis est neruosum, gula uero minus. Continuatur uero gula superius cum palato.

*De anatomia stomachi.*

Creauit Deus stomachum, membrum cōcauum, & oblongum, rotundum in sua longitudine: Concauū, propter meliorem receptionem: Rotundū, ne si esset angulosus, colligeret in se nociuas superfluitates: Oblongū, quia si fuerit penitus rotūdus, impediret ipsum diaphragma à motu suo, & ipsa spiritalia. unde illi qui habent stomachum rotundū, post prandium difficulter inspirant, & expirant. De tali loquitur G. uidi quendā, &c. Habet autē stomachus duplex os, unū inferius, quod clauditur quæ diu celebratur digestio prima: postea aperitur, & exit massa in eo cōtenta ad intestina. Os uero superius neruosum est ualde. Nam quidam neruus crassus descendit à cerebro, & intrat gulam, & per ipsam descendit ad os stomachi, in quo dilatatur, ut ipsum efficiat multū sensibilem, ut ex sensibilitate sua sentiat suam inanitionem similiter & repletionem. Membra enim inanita trahunt à uenis: uenæ uero sugunt ab hepate: hepar à uenis mesaraicis: mesaraicæ ab intestinis & stomacho: stomachus autem inanitus appetit. Vnde si prædicta patiuntur oppilationem, stomachus patitur fastidium. Componitur autem stomachus ex duobus panniculis, quorum interior est magis tener & magis neruosus, exterior uero spissior & magis carnosus. Interior uero panniculus componitur ex quibusdam filis longitudinalibus, quibus mediantibus fortiter attrahit: & ex quibusdam transversarijs. Exterior uero panniculus componitur ex filis latitudinalibus, ut comprimat & exprimat massam in stomacho contentam quando opus est. Sed quæritur cum uirtus digestiua fundetur in exteriori panniculo, sensibilitas in interiori: quare neruositas sit magis interior, quæ exterior. Ad hoc dicendū, quod digestio uiget secundum caliditatem, calor autem agit in partes remotas sicut in propinquas: sensus autē tactus in propinquas tantū: propter hoc panniculus deseruiens tactui, magis neruosus est. Ascendunt autem exteriorem panniculū uenæ & arteriæ, deferentes sanguinem ad eius nutritionem, quia carnosus est: & caro habet nutrirī ex sanguine: quæ tandem uenæ & arteriæ dilatantur in tantum, quod circumdant totum stomachū, & intestina in modum cuiusdā sacci, quod tegmē & gibus appellatur. Et est spissum, carnosum, pingue, ut intus detineat calorem naturalem stomachi. Pinguedo em̄ extra circumdans ipsum, claudit fumos calidos ne euaporent, sicut patet in cibis pinguibus: & sub pinguedine supernatante diutius retinetur calor. Et talem habet sitū & positionem stomachus. Et superior eius pars declinat uersus sinistram, ut det locū hepati superiacenti sibi lateraliter in dextra parte. Secundū magis tamen declinat eius superior, quàm inferior pars, quia maiorem locum occupat hepar, quàm splen, cum in se cōtineat hepar